

Petrus de Vinea

*Ep. II 51 (Etsi prouenientium
nobis de partibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 51 (Etsi prouenientium
nobis de partibus...)*

estate 1248

Significat cuidam nobili de Regno suo processus prosperos et felices.

1. Etsi prouenientium nobis de partibus istis ad uota successuum iam frequens ad te celsitudinis nostrae littera relatiua peruenit, ut tuae tamen expectationis affectus noua prospera status nostri continuata letificent, presentium tibi tenore describimus, quod terris omnibus nostrorum rebellium urgentissima depopulatione uastatis, castra eorum, quae potentiae nostrae processibus uidebantur obsistere, ferro flammaeque subiecimus, et cuncta nobis, ut te breuiter alloquamur, in partibus istis ad placitum desiderabili successionem respondent. 2. Hoc siquidem scire te uolumus, et presentis lectionis sapore percipere, ut non solum tibi materiam huiusmodi iucunditatis exhibeant, sed uelut uera presagia futurae letitiae firmam fiduciam representent, quod ea tuis auribus infra dies paucissimos offeremus, ex quibus manifeste perpendere poteris laboribus nostris in proximo finem laudabilem imponendum.